

accederet. Itaque cives potiores, quam peregrini; et propinqui, quam alieni: cum his enim amicitiam natura ipsa peperit; sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benevolentia, amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest: quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta est res, et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur.

Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio: qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum est: illa autem superiora caduca, et incerta, posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem: sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet; nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. Jam virtutem ex consuetudine vitae, sermonisque nostri interpretemur; nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur: virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est: eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiantur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio, *cui potest esse vita vitalis*, ut ait Ennius, *qui non in amici mutua benevolentia conquiescat?* Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aequae, ac tu ipse, gauderet?